



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDLXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

jacebat totum magno iucundoque completum  
lumine: deinde visum sibi, cubiculi tecto patefacto,  
ita ut cælum pateret, sustolli in altum, & quasi  
plumbeā circumdatum ueste; quæ uestis, tanquam  
colliquecente sensim, & collabente plumbō, quò  
ipse altius attollebatur, hoc siebat leuior: cùmque  
euectus tandem ad solium augustissimum Dei esset,  
nec auderet oculos ad eius conspectum erigere,  
iussum à Deo bono animo esse, seque intueri: iam  
condonatam noxam cuius puderet. Cùm ergò  
animo ex ijs verbis sumpto fixisset in DEVM oculos,  
eoque spectaculo frutus aliquamdiu esset, cognouisse,  
die Annunciationis Deiparæ horâ diei supremâ sibi  
morieundum; & annuo circiter spacio duos insignes  
Collegij homines erectum iri. Hæc Sacchinus.

*De propria-  
tate pec-  
cato non  
esse fine  
metu.*

n.65.

897 Hoc anno P. Bernardino Realino diuina  
in se beneficia expendenti, ex apertâ serenâque nu-  
be videri visa est & loqui Augusta cæli Regina  
manum porrigens, & dicens: *Veni, amice, Veni!*

A N N O M D L X I I .

898 P. Antonius Martinez Rosarij MARIANi pie-  
tatem in sacra quadam Societatis expeditione ar-  
denter explicabat, omnesque ad illam cohortaba-  
tur, à populo dictus cereus ardens Beatissimæ Virginis,  
cognomento inde nato, quod eam Antonij pieta-  
tem palam honorasse dictus sit Deus. Per eos  
enim dies quibus hæc agebat Antonius, illustris  
candela super B. Virginis imaginem ardere diuini-  
tus conspecta est, symbolum cordis & linguae Anto-  
nij puro MARIA Deiparæ amore ardentis, & alios  
accendentis.

*ob. 1562.  
6.Iuly.*

*De B.V.  
ardenter  
loqui.*

A N N O M D L X I I I .

899 P. Consaluo de Mello moris fuit, vt in iti-  
neribus ad Beatissimæ Virginis amorem se liberalius

*ob. 1563.  
14.May.*

*per*

*Per iter  
illam ora-  
re.*

*Glorie  
Deiparae  
gratulari.*

*ob. 1567.  
4. Martij.  
n. 91.*

*Mortem  
suam illi  
vnice com-  
mendare.*

*Sacch.  
n. 235.*

per varias preces effunderet. Id aliquando per iter agente illo, videre sibi videbatur sociis comitem iuisse in excelso Deiparam velut æquis cum illo passibus ambulantem, & annumerantem singula quæ Consaluuus agebat officia pietatis.

A N N O M D L X I V .

900 Alphonsus Rodriguez Coad. die Assumptionis B. V. post communionem gratijs agendis intentus, Deiparam, stipantibus eam Angelis, ab æterno Patre in altum eleuataam, coronatamque aspexisse fertur in vita quam plures edidere, ubi etiam dicitur, quod ipsa Regina gloriæ Alphonsum manu prehensum, coram Angelo custode, & S. Francisco (quem ille vnicè colebat) æterno Patri obtulerit, velut munus, repente in loco excelfo & lucidisimo collocatum.

A N N O M D L X V I I .

901 Aliquot ante P. Emmanuelis Mionæ migrationem diebus, cùm in eius cubiculo, inquit Sacchinus, causa nulla odoris, neque à morbo, neque à senectute hominis, neque à ministrorum curâ esset; adeò tamen ex ipsomet decubente suavis afflatus odor dicitur, ut vehementer qui aderant mirarentur. Relictam ab Virgine ferebant eam suavitatem, quæ clientem suum benignè inuisisset. Idem P. Emmanuel, cùm agens animam oculos in cælum, præter solitum, intendisset, quærenti quid hoc sibi veller, respondit; se Deiparam intueri.

902 Eodem anno Goæ die S. Iacobi morienti P. Ludouico Goëz cùm dicerent quidam, ut in ipsos conuerteret oculos; Sinite, inquit, ita esse: Nam coram me Sanctissima Virgo adstat. Et creditum id esse ait historia: adeò excellenti religione eam coluerat.

AN-